



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 15. Infami calumnia interfectus innocens, summo iure experitur, adesse
cælestem vindictam calumniam falsò iurantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

Monachi illius exemplo est comprobatum,
 9. Belli Duces, qui, etsi magnam habent
 potestatem, ac sæpe etiam seueritatis ne-
 cessitatem; tamen si homines, tanquam be-
 stias habeant, si pro quouis verbo, arbori
 infelici milites suspendant; scire debent, e-
 tiam militum à Deo haberi rationem. 10.
 Tametsi priuati quoque homines, vti iniu-
 rias possunt irrogare non priuatas tantum,
 ita mereantur sæpe ad diuinum tribunal in-
 uitari; tamen sæpius publici iudices, Prin-
 cipes, Reges, & summa capita, ob summam
 potestatem, summa iniuria afficiunt subdi-
 tos; à quibus, cum ad superiorem, in terris,
 non possit prouocari magistratum; vltima
 via est, vt ad Deum prouocetur. Hi ergo
 omnes, nisi iustitiam discant moniti, quot-
 quot subditos indignè opprimunt, tot me-
 tuere debent, prouocatores.

§. XV.

*Infami calumnia interfectus innocens, summo
 iure experitur, adesse caelestem vindi-
 ctam calumniam falso iuran-
 tibus.*

Kranzius
 lib. 13.
 Vanda-
 lia. c. 2.

Sed placet, coronidis loco, subnectere
 aliud paradigma, quoniam ad hæc tempora
 peruentum est, vt nulla sufficiant exempla
 vitijs

vitijis dedocendis. Ordinis Teutonici Magister, diuersos ab officio & dignitate mores amplexus, videri castus, quàm esse malebat. Nomen illi, apud exteros, erat splendidum, sed inclusas eius libidines, qui paulò propiùs accedebant, intuebantur. Quas ipsas tamen vt velo tegeret, amores suos, iuueni mercatori conatus est in matrimonium dare. Iuuenis honestatis amans, quia nolebat coniugem alij communem habere, nuptias excusauit. Timebat enim sibi à nuptiarum conciliatore, à quo sciebat futuram vxorem, eò vsque, inter charas habitam. Repudium hoc, pro exprobratione, interpretatus est Dominus, cui insuper bilem in nasum cõciuit, spem se mantelúmque nequitia suæ tegendæ amisisse. Iuuenis igitur, dum biuiram à se amolitur amorésque Principis, odium sibi parat & exitium. Dum enim tacitè quidē, sed vehementer tamen, exæstuat in innocentem, Domini animus, tandem rationem reperit sese vindicandi. Ait eum furem esse. Atque vt accusatio colorem habeat, furti locum, tempus, modum nominat. Inijciuntur iuueni manus, & quia Principi creditur, etiam laqueus. Nec ignorauit Mercator, caussam fictam.

in iu-

in iudicio, explicari, veram occultari; noluit tamen ipse, quod res erat, promere; satis illi fuit, deprecari mortem. Quod sane, oratione luculenta, fecit. Et docuit innocentia eloquentiam. Utque nihil ad artem pertinens deesset, etiam lachrymæ accesserunt. Sed obstinauerat Princeps, quem neque oratio flexit, neque fletus emolliuit. Quid faceret iuuenis, hac tam viridi ætate, moriturus? Ad vitæ authorem confugit, ac innocentia defensorem Deum. Iam ducebatur, nec procul à morte aberat, cum repente Stentorea voce exclamauit: *Iniuriam patior, iniuste sum damnatus. Ad aliud iudicium appello, ad omnipotentis iudicium pronoco: ibi, qui capitalem in me sententiam tulit, post decimam tertiam diem, sententia sua reddat rationem.* Hoc iuuenis fuit testamentum, hæc vltima voluntas: immo & verba vltima. Nam mox, collo in restim indito, è scalis deiectus, pependit. Citationem hanc Teutonicus Magister, cum risu, spreuit. At vbi lux tertia decima orbi est reddita, repentino morbo obrutus, in has voces erupit: *O me miserabilem hominem! ecce è vita eijcior. Hodie mihi caussa dicenda est, apud Iudicem omnia scientem.* Hoc vltimum dixit, postea

postea obmutuit: atq; , vt se sibi vatem fuisse ostenderet, illo adhuc ipso die, ad diuinum tribunal, ex vita hac est exturbatus. Quod sanè Rigæ, in Liuonia, Anno Christi 1407. euenit. Porrò Sirenula illa, quæ repudio furens, innocentis necem non parum promouit, vt & ipsa Numinis iudicia redderet illustriora, ab alio mercatore, de vero furto accusata, iudicio se suppliciòq; fuga subduxit, fortasse vt iudicium seuerius, suppliciùmque æternum sustineret.

§. XVI.

Metuendum illis vehementer, ne in ius adire, apud Deum, cogantur, qui alios per calumniam malitiàmq; petunt.

Quàm crebra est ista magnorum Dominorum praxis? quoties tales ab illis nuptæ ac nuptiæ prodeunt? quàm frequenter illos loco mouent, vitæque priuant, & omnibus fortunis exuunt, qui cum claros eos magis, quàm honestos, esse nôrint, eorum nequitij & impuritati cooperari noluerunt? Quot hodièque viuerent, & emerent, si teterrimi facinoris ministri, socij, adiutores esse voluissent? Quàm multi omnia diuina humanaque iura, nouo, inaudito, in-expiabili scelere polluant, nefariòque patriæ

triæ